

**Dissertatio medica inauguralis de sanguinis ex utero gravidarum et puerperarum praeter naturam profluviis ... / [David Spence].**

**Contributors**

Spence, David, 1747-1786.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1767.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kmtmutcm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*100* *11* *12* *13* *14* *15* *16* *17* *18* *19* *20* *21* *22* *23* *24* *25* *26* *27* *28* *29* *30* *31* *32* *33* *34* *35* *36* *37* *38* *39* *40* *41* *42* *43* *44* *45* *46* *47* *48* *49* *50* *51* *52* *53* *54* *55* *56* *57* *58* *59* *60* *61* *62* *63* *64* *65* *66* *67* *68* *69* *70* *71* *72* *73* *74* *75* *76* *77* *78* *79* *80* *81* *82* *83* *84* *85* *86* *87* *88* *89* *90* *91* *92* *93* *94* *95* *96* *97* *98* *99* *100*

*Geo. Rose* *The Author*

DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,

D E

Sanguinis ex utero gravidarum et puer-  
perarum praeter naturam profluviis.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DAVID SPENCE, A. M.  
BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

*Parce precor gravidis, facilis Lucina, puellis,  
Maturumque utero molliter aufer onus!* OVID.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M, DCC, LXXVII

1851  
THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
PHYSICS DEPARTMENT  
575 EAST 58TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
U.S.A.

316839

VIRO PLURIMUM HONORANDO,  
ROBERTO DUNDAS  
DE ARNISTON,  
ARMIGERO;

SUPREMÆ APUD SCOTOS CURIÆ PRÆSIDI,  
ELOQUENTIA,  
ÆQUITATE,

ACRI JUDICII ACUMINE,

ET

LITIBUS CELERITER DIJUDICANDIS,

PUBLICÆ INSIGNI;

IN SUOS PIETATE PATERNA,

PRIVATIM SPECTATO,

HÆC PRIMA CONAMINA,

D. D. C.

DAVID SPENCE.

VIRI OPTIMUM HONORANDO

ROBERTO DUNDAS

DE ARLINGTON

ARMIGERO

EUTRUMQUE APUD SCOTIAE REGIAE RESIDENS

ET QUONDAM

ACQUITATE

ACCI JUDICII ACUMINE

ET

ALTIUS CILICITER DISJUDICANDIS

PUBLICIS INSIGNIS

IN EUOS PIETATE PATERNAM

PRIVATIM SPECTATO

HAC PRIMA COMITISSA

D. D. C.

DAVID SPENCER

# DISSERTATIO MEDICA

D E

## SANGUINIS EX UTERO GRAVIDARUM ET PUERPERARUM PRÆTER NATURAM PROFLUVIIS.

**V**ITA humana morborum infanda multitudine affligitur; qua quidem in re fors muliebris paulo tamen miserior est, quibus, praeter ea mala quae iis cum maribus communia sunt, alia insuper propria, eaque ipsa neque levia neque pauca, contingunt. Haec autem partim ex muliebrium corporum infirmitate, partim ex diversa partium, praecipue naturalium, conformatione, oriuntur; adeoque eas male habent, adeo omnem vitae fructum usumque corrumpunt, ut nemo qui modo vir sit, nec ab omni humanitate et mansuetudine remotus, sexus amabilis, nobis conjunctissimi, fidi, utilis, atque etiam

A

necessarii,

necessarii, tam gravia saepe patientis, non  
 misericordia et dolore moveatur. Quo  
 magis, praeter misericordiam, etiam au-  
 xilium et opem a medicis jure sibi vindi-  
 cant. His ego rebus inductus, cum sum-  
 mos medicinae honores petiturum, Aca-  
 demiae leges scribere me, et scientiae artis  
 exemplum in lucem edere, juberent, de  
 morbis muliebribus tentandum et pauca  
 dicenda putavi. Quorum cum uterum  
 infestantia, five miserias quibus vitam  
 contristant, five exitiales quos trahunt fi-  
 nes, consideres, haud minima aut levissi-  
 ma videantur; ideo in iis primam ope-  
 ram nostram collocandam judicavi. Ne  
 tamen aut nimium in me laborem susci-  
 perem, aut plura quam hujusmodi dispu-  
 tationum ratio ferret, comprehenderem,  
 totum illorum orbem non amplecten-  
 dum, sed de sanguinis ex utero profluviis  
 circa graviditatis aut pariendi tempora  
 praeter naturam ortis primum, dein de  
 lochiorum immodico, verba facienda ex-  
 istimavi. Ideo vocabulum *praeter natu-  
 ram* adhibui, ne menstrua, quibusdam  
 gravidis

gravidis per primos menses, paucis, per omnes, integra aut vix imminuta valetudine, contingentia, a morbofis profluviis minus discernere existimarer: nam

PROFLUVIA ante partum morbofa, de quibus acturus sum, ex uteri vasis, vel ruptis vel laxatis alieno tempore, laesa valetudine fiunt. Definitio.

UT sanguinis, circa graviditatis menses, aut pariendi tempore, profluvia a variis causis postea exponendis, oriuntur; ita varia quoque ratione invadunt, et modo subito et ex improvifo se ostendunt, modo tardius, levibus horroribus, lassitudine, ventris et lumborum dolore, spasms et ponderis in utero et supra pudenda sensu praecedentibus, accedunt. Tandem sanguis, primo modice magis plerumque prorumpit, intermissumque paulisper profluvium, duplicata deinde vi et saevitie rursus redit. Quod malum, si non aliter repressum est, et mulier vel ad maturum partum pervenit, vel dolores utique incrementum, uterus se contrahens, quicquid intus est expellit, seque etiam magis contrahere,

Morbus  
quis fit.



trahere, et in justam quae virginei aut non gravidi uteri fit magnitudinem imminui perseverans, aperta vasorum ora paulatim claudens, tandem profluvium sistit. Quod si dolores non augmentur, propterea quod justum pariendi tempus vel nondum advenerit, vel morbi vis robur confecerit, profluvium perstabit, diramque malorum feriem, aegritudinem, nauseam, vomitum, extremorum frigus, oculorum caliginem, arteriarum percussus debiles, frequentes, et intermissos, animi defectiones, sudores frigidos, convulsiones, et mortem, trahet. Quibus malis si qua superstes esse et extremam quasi vim superasse potuerit, ea perquam imbecilla et afflicta, nisi summa cura et diligentia sustentabitur, in tremores, pedum crurumque tumores, item ventriculi et intestinorum turbas, negotio chyli conficiendi effecturas, incidet. Quo tandem fiet, ut totum corpus debita alimenti rite parati copia privatum, et pravo sanguine aliisque humoribus pessundatum, infinitis aerumnis, a nimio sanguinis profluvio oriri solitis, oppressum obruatur.

atur. Atque haec morbi, postquam apparuit, fere facies esse solet. Quae vero eundem efficiunt, proximum est exponere.

CUM autem non omnes mulieres his sanguinis eruptionibus tententur, et pleraeque omnes liberos gerant, pariant, lactentque, ab iis prorsus liberae; quaelibet vero, causis satis validis oblatis, in morbum incidere possint: Primum, qualia corpora morbo maxime opportuna sint; dein, quae causae vel haec vel quaevis alia corpora, nulla latentis feminii ratione habita, in morbum conjiciant, explicabo.

LAXUS igitur tenellus, plenus, irritabilis, et sanguineus habitus \*, immodicis sanguinis profluviis prae caeteris opportunus est. Qualem eae mulieres habent, quae lautius aut plenius vescuntur, parum exercentur; animi perturbationibus commoventur; hysterisis malis convelluntur; nimia menstruorum copia diducuntur; quibus frequens abortus, fluor albus †, aut etiam hic morbus antea accidit;

Causae

opportunas morbo red-  
dentes,

\* Hoffm. supplem. 2. p. 2.

† Haller, Disp. Med. pract. vol. 4. p. 575.

## 6 DE SANGUINIS EX UTERO

cidit; item quae duros tumores, caneros, luem venereum, aut plerisque alios uteri affectus, expertae sunt.

morbum  
efficientes;

CAUSAS hunc morbum excitantes, in duo genera diducam—Primum, ea quae matri magis propria sunt, comprehendet: Alterum ex partu magis orta exponet.

AD primam autem divisionem, intus assumpta, motus, retenta, denique extrinsecus admota, referri possunt.

Intus as-  
sumpta,

EX intus assumptis, omnes cibi et portiones vehementer stimulant; calidiora emenagoga urinam moventia \*; supra et infra, praesertim valide, purgantia, quae totum corpus irritant, sanguinemque ad uterum percitant, profluvium sanguinis faciunt.

Motus,

PORRO, omnia graviorum motuum genera †, qualia sunt saltatio, cursus, rhedae per aspera loca vectio, onera tollendinis, aut similis quilibet musculorum labor; cachinnus, tussis acris, sternutatio, desidendi irrita cupiditas, alvi crebrius  
justo

\* Boerhaave Aphor. 1306.

† V. Swieten in Aph. B. 1306.

justo fusae actio molesta, et similia \*; item graviores animi perturbationes, et prae caeteris ira et terror; quae omnia cordis actionem intendunt, spiritum crebrum, ideoque sanguinem citatiorem, reddunt, causis morbi annumeranda sunt. Eodem etiam concubitus frequens † pertinet, simili ratione agens, et ipsum uterum propius movens et irritans.

E retentis primum memorandus plenus Retenta,  
 habitus videtur, qui ex menstruis subito subsistentibus, et partu nondum ea magnitudine aucto, in quam totus sanguis retentus infumatur, natura solito menstruorum tempore nitente, oriri consuevit. Praeterea, alvi durities, cui mulieres gravidae adeo fere opportunae sunt, alia saepe causa est. Stercus enim durum non solum intestinum rectum, ideoque vicinum quoque uterum irritans, sed intentior illud exprimendi labor, nocebit. Postremo, occlusa perspiratio, humorum vim in interiora,

\* D. Young in Praelect.

† F. Hildan. Centur. 2. 80.

teriora, itaque in uterum, repellens, haud alio sane spectat.

Extrinfecus  
admota;

FRIGUS intenfum, fummum corpus fpafmo adstringens, et fanguinem ad vafa fubter cute impeditum, in interiora, eaque prae caeteris ubi minus refiftitur, rejiciens, fimul perfpiranda occludens, ad morbum quoque aliquid conferre potest. Quinetiam vis externa, quales funt ictus, cafus, et fimilia, ad morbum imprimis efficax reperitur. Neque non gravis ardor \* humores rarificiens, et firma refolvens, fimili ratione nocet.

CAUSIS ipfi mulieri magis propriis enumeratis, quae turbae a partu eique conjunctis magis cientur, eas deinceps exponam. Eae autem ad motum, positum, magnitudinem, lacerationem, aut rupturam, referuntur. Quarum tamen pleraeque, vix nifi graviditate provectis contingere, nonnullas folis mature parturientibus, incidere, praemonendum est.

Motus pueri,

MOTUS pueri intus † uterum irritando,  
profluvium

\* Haller, Disp. Med. pract. vol. 4. p. 567.

† Hoffm. T. 3. § 2. C. 9.

profluvium efficere periclitatur. Quin et eadem causa, placentam ab utero divellendo, praesertim si funiculus umbilicalis vel justo brevior est \*, vel circa cervices partus replicatus †, eandem noxam efficit. Quarum tamen causarum conjunctus effectus inter pariendum maxime manifestus est. Itaque caput infantis, quantumvis per singulos dolores productum, tamen his remittentibus, protinus eodem unde processit, uteri fundo per funiculum umbilicalem retrahente, rursus retro recedit. Caput autem pelve impeditum, vel etiam pueri pondus, teneris placentae et uteri nexibus disrumpendis et profluvio faciendo, saepe paria reperiuntur.

PORRO partus praeter naturam positus, aut magnitudo, quominus sine vi excludatur, prohibens, placentam quoque ab utero seducere, vel etiam nonnulla vasa disrumpere, et morbum inferre, notus est.

EODEM placentae situs enormis pertinet;

Umbilicus  
brevis,  
circa cervicem  
replicatus,

Caput in  
pelve haerens,  
et pondus  
pueri,

Partus positus  
aut magnitudo,

Placentae  
positus,

\* Roeder. Elem. art. obst. § 727.

† Roeder. loc. ult. citat.

tinet; five ea dextrae, five sinistrae, five anteriori, five posteriori parti, five uteri cervici, five denique protinus supra os internum, adhaeret \*. Quod ubi fit, os uteri diductum et viam partui aperiens, primum ut placentae pars divellatur, efficit; idem postea magis atque magis diductum, ut hanc magis atque magis quoque divellat, et profluvium usque au-geat, necesse est.

Umbilicus  
ruptus.

POSTREMO, funiculus umbilicalis ruptus morbum fecisse dicitur †; quod tamen rarissime incidere iudico.

ERGO quaecunque uterum ad violentas contractiones ‡ concitant, eodem sanguinem dimittunt, hujusve per venas aequalem et expeditum reditum prohibent, atque sic, ante natum puerum, placentam ab utero semovent, sane pro morbose sanguinis profluvii causis habenda sunt.

Tempora  
morbi.

PROFLUVIUM sanguinis ex utero, quo-  
libet

\* Roederer. § 680.; Haller. Disput. Med. pract. vol. 4. p. 572.; Smellie, vol. 1. p. 173.

† Roeder, Art. obst. § 688.; Lamotte Observat. 214.

‡ V. Sweiten ad Aphor. Boerhaav. 1306.

libet graviditatis mense, incidere potest. Reliquis tamen temporibus ii dies, quibus menstrua redire confueverunt, natura etiamnunc nondum niti et solitos motus cedere desinente; idcirco, si causae accesserunt, aliquanto periculosiores erunt. Item per primos quinque menses, quam post hos, plus metuendum videtur. Si quidem propter partus adhuc exiguitatem, sanguis intus retentus magis abundabit, et ad alias causas addita periculum effluendi augebit.

CUM profluvium morbosum quem tractandum putavi, ex iisdem vasis quibus menstrua naturalia, eadem ratione oriatur, et idem fere humor, scilicet sanguis ruber, profluat, magnaue ex parte communis iis natura subsit; ideo quo morbus magis illustretur, pauca de menstruorum temporibus dicenda, et quibus rebus eadem post conceptum permanentia, ab his profluviis differant, exponenda existimavi.

MENSTRUUA circa pubertatem, seu hac in regione, decimo quarto fere aut quinto aetatis anno primum orta, et intra  
vicefimum



viceſimum quemque dein aut triceſimum diem omnes mulieres ſanas, exceptis gravidis aut lactentibus, uſque repetentia, ad quadrageſimum et quintum aut quinquageſimum annum permanent.

Morbi et  
gravidarum  
menſtruo-  
rum discrimina.

ERGO ſi in gravidis apparent, a profluviis de quibus agimus, ſequentibus ſignis dignoſcenda ſunt. Namque

PROFLUVIA, ii fere affectus, quorum ſupra meminimus, praecedunt \* et comitantur, deinde poteſtatum nocentium unus ſemper aut plures, prius incidiffe reperiuntur. Tum eorundem acceſſiones minus plerumque ordine ſe oſtendunt; cum, e contrario, menſtrua ſana ſuis temporibus contineantur †. Praeterea, in morbo plus ſanguinis plerumque erumpit; menſtrua gravidarum multo minus emittunt ‡. Menſtrualis ſanguis multo purior eſt; ex morbo natus, aliis rebus aut liquoribus || aliquantum permiscetur. Idem hic, brevibus temporis ſpatiis intermiſſis,

\* Hoffm. Op. tom. 3. § 2. cap. 8.

† Mauriceau des maladies des femmes, &c. tom. 1, p. 171.

‡ Smellie, vol. 1. p. 171.

|| Roederer. § 727.

missis, levissimo quoque momento saevior redire solet, menstruis parum modum et rationem plerumque fervantibus. Postremo, cum menstrua gravidarum a vaginae vasis \*, non ab ipso utero oriri videantur; altera vero profluvia semper ex uteri vasis nascantur, haec quoque res aliud discrimen dabit; nam si, digito insinuato, os uteri arctius clausus invenitur, mali sedem in vagina esse credibile erit: Contra, uteri os resolutum et quodammodo patefactum, gravioris mali et ab ipso utero profecti, argumento est. Haec sanorum et morbosorum sanguinis profluviorum satis aperta discrimina sunt.

UT sanguinis e vulva omnis profusio omni tempore periculosa est, ita maxime eo est, quo mulier gravida periculi duplicem causam habet. Nec sine causa longe periculosissimis gravidarum morbis BOERHAAVIUS hunc adnumerat †. Quod autem periculum, cum aliis rebus et temporibus

Morbi iudicium

\* Van Swieten ad Aph. Boerhaav. § 1305.; Heist. Chirurg. p. 2. Sect. 5. cap. 254.

† Aphor. de cognoscend. et curand. morbis, § 1303.

poribus aliud fit, quatenus ea sint, quo certius futuri fit iudicium, ostendam.

PRIMUMQUE ex mensibus graviditatis, alterum a sanguinis effluentis velocitate, tertium ab ejusdem copia perdita, postremum a virium et affectuum modo, praesagium trahere visum est.

ex mensibus  
graviditatis,

PROFLUVIA per primos tres menses, atque etiam ante quintum exactum, incidentia, minime tam gravia \* sunt, quam ea quae post id tempus sequuntur, saepe superantur, partuque pariter et matre conservatis, sistuntur. Quod si eo etiam vehementiae processerunt, ut matris saluti perniciosa partus necessaria sit, hic, perexiguus adhuc, facile exit, et vasa uteri multo, quam sub extremos menses, minora, sanguinem quoque multo minore copia et velocitate, emittunt.

NEQUE circa justum pariendi tempus sanguinis profusio metuenda est, nisi, ubi partus, praeter naturam positus, aut simili de causa, tardius educitur.

CONTRA, eadem per medios menses invadens,

\* Smellie, vol. I. p. 171.

vadens, multo plus periculi habet, crescit-que eo periculum, quo magis ad partum maturum mulier vicina est. Quam observationem MAURICEAUII testimonium firmat \*. Crescente enim pro onere incluso utero, vasa ejusdem pro ratione ampliantur; quorum ora, secundis ab utero semotis, atque hoc propter contenta se contrahere nequeunte, sanguinem suum rapidissime profundunt. Quocunque autem tempore ante maturum partum sanguis ex utero erumpit, prout secundae magis minusve ab eo secesserint †, ita major aut minor metus est.

ALTERUM a velocitate profluvii praefragium trahendum dixi. Nam ubi ea maxima fuit, nonnullas ante periisse, quam auxilium adhiberi potuit, non desunt testimonia. Contra, ubi leniter sanguis exit, tempus ad opem ferendam datur.

PORRO, copia minor periens, spem salutis

profluvii  
velocitate,

ejusdem  
copia,

\* Les pertes de sang, qui arrivent aux femmes grosses, sont toujours d'autant plus dangereuses que le terme de la grossesse est avancé; Mauriceau des Maladies de femmes grosses, tom. 1. p. 535.

† Smellie's Midwifery, vol. 1. p. 171.

lutis et matri et partui promittit; in magna, partus, vel vivus vel mortuus, quamprimum extractus, solum est auxilium.

viribus aegrotantis;

POSTREMO, de futuro judicandi facultatem, virium mulieris modus et affectuum natura, ut supra ostendi, dabunt. Itaque si robur et animi valent, si remediis morbus cedit, si dolores incipiunt, si os internum relaxatur, si omnia citi puerperii signa apparent, sperare licebit. Contra, si profusio augetur, si mulier deficit, si os uteri non resolvi perseverat, si vel nulli dolores sunt, vel qui fuerunt, remittunt definuntque, eventus incertus erit.

QUOD si uteri ore patefacto, profusio augetur, et, re explorata, pro infantis capite, spongiosum quiddam, demissa manu, sentitur, credere licebit profluvii causam fuisse interno uteri ori placentam supra adfixam; pereundumque et matri et proli erit, nisi quam citissime haec vel natura exciderit, vel arte fuerit ablata.

HIPPOCRATES \*, "Si mulier," inquit, "gravida sanguinem profundit, cui extre-  
" ma

\* Aphor. § 5. 56.

“ ma frigescent, arteriarum percussus  
 “ debiles, citi, non aequis intervallis mo-  
 “ ventur, oculi caligant, aures sonant, cir-  
 “ ca praecordia anxietas est, anima saepius  
 “ deficit, sudor frigidus, nervorumve dis-  
 “ tentiones sunt, malum est, et mors in  
 “ propinquo videtur.” Cui haec exitii

plerumque esse signa assentio; eadem tamen semper mortem subsequi nego\*.

Incredibile enim dictu est, quantum turbarum maxima pars mulierum perferre queat. Sane ego ipse, cum parturientibus, viro praeclaro YOUNGIO Magistro, curationes adhiberem, mulieres vidi prorsus omnium vehementia confectas, robore fracto, arteriis prorsus quiescere visis, anima deficientes, nervorum distentionibus afflictas, et extrema quasi omnia passas, tamen ad secundam valetudinem rediisse.

DURI uteri tumores, cancrive, plenum periculi eventum denunciant.

CUM medici sit non solum morbis, po-  
 steaquam inciderunt, succurrere, verum  
 etiam venturis occurrere, et periculum a-

Morbi prohi-  
bendi ratio.

C

versum

\* Roederer. Art. obst. § 681.

versum propulsare; paucas observationes gravidis morbo opportunis, aut quae jam ante eo conflictatae sunt et reditum timent, necessarias proponam. Quas in causis excitantibus, magna ex parte, positas ita persequar, ut harum ordinem servem.

Vitando no-  
xam intus af-  
sumptorum,

ITAQUE ex intus assumptis omnia acria et irritantia ciborum aut potionum genera vitanda sunt. Contraque, victus nutriens, levis, et concoctu facilis, parva copia, sed saepius, capiendus. Item omnibus medicinis corpus valide moventibus abstinendum; quarum, si quae utique necessariae sunt, delectus habendus, et lenissima quaeque danda.

motuum,

NEQUE gravioribus corporis aut animi motibus hujusmodi mulieres recte committuntur. Neque lenior tamen exercitatio, nisi temporibus quibus menstrua redire aut morbus contingere consueverunt, timenda. Simul animi tranquillitati inserviendum, laetitia praestanda, neque tristitia subito nuncianda, Venus vitanda.

PORRO,

PORRO, quaecunque mulieres, ex men-  
 struis post conceptum retentis, in plenum retentorum,  
 habitum inciderunt, sanguine detracto,  
 circa tertium mensem, aut quolibet tem-  
 pore, si eadem causa perstabit, opus erit.  
 Quod auxilium, si qua sanguinis profu-  
 sioni obnoxia videbitur, etiam magis erit  
 efficax. Neque HIPPOCRATES audien-  
 dus est, “ Secta vena, partum intus eli-  
 di \*,” praedicans. Nemo enim in usu  
 artis paulo exercitior, non novit, fan-  
 guinis detractionem saepenumero in gra-  
 vidarum affectibus prodesse. Quin prae-  
 ceptor noster artis peritissimus, qui nego-  
 tium puerperii curandi summa cum lau-  
 de in hac Academia docet, gravidas sae-  
 pissime facilius venam sectam, quam  
 alias ferre, nobis demonstravit. Alvus  
 dura, quae morbum saepe facere dicta est,  
 leniter eam purgantibus solvatur, et so-  
 luta fervetur. Cui rei aptissima sunt,  
 manna, electuarium lenitivum, flores sul-  
 phuris, et similia. Hoc consilio nonnulli  
 liquores in alvum immittendos contem-  
 dunt:

\* Aphor. Sect. 5. 31.



dunt: Quod genus remedii parcius utendum, solumque ad durum stercus, colon aut rectum obfarciens, dissolvendum; ideoque mollientia sola adhibenda, judico. Si quando urina retenta periculum morbi faciet, ei liberior exitus idoneis medicinis, vel fistula insinuata, inveniendus.

excretorum,

Ex excretis fusa alvus ac vomitus curam postulant; iique affectus ita prohibendi aut tollendi, iisque rebus, sunt; ut ea omnia quae morbi periculum creent cum cura evitentur.

extrinsecus  
admotorum,

QUICQUID nimium in coeli habitu est, sive in calore, sive in frigore consistit, id omne fugiatur.

Curationis

UBI autem morbus jam se ostendit, sive in iis quas sic tractandas dixi, sive in aliis, aliqua medendi ratio instituenda est. Ea autem ad quatuor consilia referri omnis potest, curandumque,

quatuor con-  
silia:

UT sanguis minore momento in uterum influat; deinde,

UT vasa patula adstringantur; tum,

SI prior duplex curandi ratio ad  
sententiam

sententiam procefferit, ut morbi reditui occurratur; postremo,

UBI hae frustra nos habuerint, ut partus sine mora extrahatur.

SANGUINIS nimium in uterum cur- Primum,  
sum, sedantia, scilicet quies refupinati corporis et animi, frigus modicum, victus refrigerans, levis et satis nutriens, secta vena et opiata, prohibent. De quibus ordine loquar.

PRIMO igitur morbi adventu, mulier requiens quietem,  
lecto supina reponatur: qui corporis jacentis simul et quiescentis habitus, sanguinem toto corpore tardat, minusque, quam erecto corpore, ad uteri vasa dirigit. Item omnes animi aestus, perturbationes omnes, cavendae sunt; omniaque ingrata, et dolorem aut iram moventia, procul amovenda; ac neque gaudio insolenti subitove credendum; sed medius animi habitus, sive tranquillitatem voces, sive serenitatem,

Quem ultra citraque nequit consistere rectum,  
quaerendus,

ITEM

ITEM aliqua sanguinis per venas redeuntis mora \*, circumligatis ita extremis, ut liber in arteriis, impeditior in venis, motus fit, a mulieribus ipsis idoneum remedium creditur: Estque, quoties rite administratur.

frigus modicum,

CUMQUE calor omnis humorum motum augeat, ut ii plus spatii occupent faciat, et firma resolvat; ne qua noxa a vestium calore oriatur, harum nimium onus cavendum est. Eademque de causa cubile pilis quam plumis refertum melius est; illo modicum, hoc nimium calorem praestante. Curandum etiam, ut aër cubiculi modica temperie, magisque in frigus inclinante, fervetur.

victum levem, &c.

CIBOS refrigerante natura, concoctu facili, et modice alente, ut dictum est, esse convenit; acribus et calidis omnibus, atque e duriore materie, nimis vel parum alente, vitatis. Atque, ut in consilio morbo occurrendi praeceptum est, nunquam multum, sed exiguum aliquid, saepius dare utile est. Potui, parvi aquae frigidae

\* V. Sweiten in A. B. 1307.

frigidae haustus, cui paucae spiritus vitrioli guttae, acidi causa, adjectae sint, et emulsiones refrigerantes, dentur. Nam nitri, quod hujusmodi in casibus vulgo dari video, parum mihi usus placet; quippe quod, semper gustu ingratum, nonnullis etiam nauseam et vomendi desiderium, moveat.

UBI profluvium diu nondum fuit, et mulieris corpus plenum est, sanguis e brachio, et, ut nonnulli testantur, utiliter detrahitur \*. Quod tamen, ubi vires imminutae sunt, diutiusque morbus permanfit, rectius omittitur. Neque in plerisque casibus, postquam morbus incidit, potiusque in ejusdem metu ne incidat, vena mihi tangenda videtur. sectam venam,

PRAETER sedantia modo memorata, efficacissima eorum opiata non omittenda sunt. Haec spasmos, siquando offendunt, resolvunt; irritationem, siue totius corporis, siue uteri solius, consopiant, et animi perturbationes, ex metu eventus aut aliunde ortas, componunt. Eadem quoque opiata,

\* Hoffman. op. tom. 2. de Haem. uter. ; Hollerius in Hippoc. A. 50. § 5.

quoque ipsum cor afficiunt; cujus actionem clarissimi nostri hac in Academia nuper praeceptoris experimentis, sedare fuit probata\*. Igitur in omni sanguinis profusione quam vis stimulans fecit, aut servat, utilissimus opiatorum usus est †. Quod si complures scriptores opium tantummodo pro tempore levare, cujus post effectum, duplicata saepe vi morbum deinde redire, animadverterunt; tamen vel brevis morae levamen non despiciendum est. Quippe quod, naturae tempus et occasionem agendi et noxam corrigendi, praebeat. Idem spatium et tempus dat adstringentibus medicinis, de quibus mox agam, suos quoque effectus praestandi. Qua mente utrumque hoc auxilii genus saepe conjunguntur, conjunctaque cum elixir vitrioli aut tinctura antiphthifica opiata, RUTHERFORDIUS egregius Praeceptor noster, in sua schola laudavit.

HOFFMANNUS in gravibus ex utero  
sanguinis

\* Edinburgh Essays and observations, vol. 2. art. 20.

† Tralles de usu opii, § 2. de Haemorr. uter.

sanguinis profluvii, “ E re est,” inquit,  
 “ brachium utrumque tepidae aquae, cui  
 “ quippiam vini admixtum, per horae  
 “ dimidium, immittere; quo sanguinis  
 “ impetus ad exteriora divertatur \*.”

Quod tamen remedium probabile mihi  
 non videtur; siquidem tepidum balne-  
 um, si vasa relaxat, humores etiam rare-  
 facit, ideoque cursum eorum, quo ante  
 dirigebatur, inde non avertit.

NEQUE vomitum, in immodicis men-  
 struis aliquando utilem, in hoc quoque  
 morbo respondere existimo. Cum enim  
 plerosque scriptorum in usu artis versa-  
 torum, vomitum alienum esse testari, et  
 profluvia, de quibus ago, etiam ab illo  
 oriri, videam; neque in multis sic labo-  
 rantibus quibus interfui, ullum inde  
 commodum, contra, multa mala proveni-  
 re, et morbum semper intendi, observa-  
 verim; vomitum pro remedio neutiquam  
 habendum judico.

SECUNDO medendi consilio varia ad-

Secundo,

D

vel

\* Hoffman, Oper. tom. 2. de Haem. uter.

vel ore dantur, vel in ipsam vulvam infinuantur.

respondent  
adstringen-  
tia.

LICET quem ad modum, quave ratione, ore assumpta, et non ipsis vasis admota, agant, addubitatum fit; tamen re vera sic agere credita sunt; atque sic quoque, nec frustra, adhiberi vulgo confueverunt. De duabus autem opinionibus, quarum altera res adstringentes ore acceptas, ora vasorum lacteorum intrare, sanguine commisceri, cum hoc ad partem laborantem deferri, ibique resoluta firma roborare et glutinare, statuit; altera, illas solum primas vias movere, et adstringere, perque consensum deinde nervorum, eundem hunc affectum ad reliquum corpus, ideoque, si qua pars resolvitur, ad eam quoque pervenire, ponit; magnae hodie controversiae moventur. Verum, sive hoc, sive illud, seu utrumque ex parte, verum fit; nam tantas lites attingere, aut vel componere conari, nostri neque ingenii neque aetatis est; quod ad ipsum usum attinet, lenius adstringentia primum, deinde

inde ea quae validius sic agunt, mihi tentanda videntur.

EADEM medicamenta vel liquida in vulvam, vel pro pessis \*, immittuntur. Quorum utique sic adhibitorum usui non multum confido. Siquidem ea sic insinuata ultra vaginam aut uteri os non penetrare, suspicio est. Neque alium usum praestare videntur, quam ut sanguine coacto os internum paulisper occludant. Quod tamen non minuit morbum, sed auget. Apertis enim vasis sanguinem nihilo minus profundere perseverantibus, is uterum inter et secundas congestus, ut major etiam divulsio fiat, efficit.

TERTIA curationis pars reditui morbi occurrendi rationem tradens, cum jam ante in morbi adventu avertendo praecepta sit, nihil hoc loco dicendum prope reliquit. Solusque, victus refrigerantis leniumque adstringentium et opiatorum, usus, superaddendus videtur.

QUOD si curatio supra tradita frustra fuerit, sanguinisque profusio perseveret, nihil

Tertium, morbo occurrentia respiciens,

Postremum, consistens in partu educendo,

\* Hoff. l. c.



nihil reliquum est, praeterquam ut partus, eique adjuncta, quamprimum educantur.

PARTUM autem per primos quinque menses natura sola sine ope ejicit; raroque etiam sexto mense auxilio artis eget\*.

INTER quintum autem vel sextum mensem et partum maturum, crescente usque periculo, majore cura opus est. Si igitur profusio vitam mulieris in periculum deduxit, manu in vaginam demissa, uterios aperiatur, membranulaeque perumpantur. Cujus rei irritatio, si dolores puerperii justos excitabit, partusque rite positus procedet, humores, quo se contrahendi potestas utero fiat, profusio minuatur, tutusque pariendi labor fit, protinus effundantur. Contra, ubi nulli dolores sunt, mulieris robur conficitur, infansque male intus positus est, hunc in pedes convertere, atque sic protrahere necesse erit. Qua de causa humoribus intus, quo expeditior labor fit, servatis, pedibus infans protrahi solito more debet, semperque spatium utero dari, quo sese, inter contenta

\* D. Young in Praelect.

tenta extrahenda, contrahat. Qua quidem mente, si profusio, educto jam partu, sistitur, nonnulli, placentam non etiam auferendam, sed naturae relinquendam, existimant \*. Neque dubium est, quin, in omni parturientium curatione, maximeque in hac, ad placentam tollendam maxima cura et cautione opus fit.

UBI partus maturus est, dolores plerumque superveniunt, laborque, licet longior, ad felicem tamen finem pervenit. Hic, ubi satis os adaperitum est, nihil aliud est agendum, quam ut membranulae partum tardantes, quo hic expeditius excidat, perforentur. Quod si minus uteri os adhuc hiat, tamen perforatis membranulis, effusi humores, praeterquam quod sui contrahendi utero copiam permittunt, omnia lubricando et laxando, illud quoque patefaciunt.

POSTQUAM umbilici brevitatis, idemve circa cervicem infantis replicatus, hujus, post unumquemque dolorem retrocedentis, exitum diu retardavit, mulierque ad  
extre-

extremum venire videtur, caput autem eo usque processit, ut infans in pedes converti et sic protrahi nequeat; ad forcipem decurri, aut etiam, qui solidus non exit, concisus eximi debet. Neque tamen infans, nisi in extremo matris periculo, et, ut altera vita projecta, alteri consulatur, concidendus mihi videtur.

SI profusionem placenta primum oblata fecit, hac, nisi validi dolores infantis exitum maturant, perrupta, is in pedes conversus extrahendus est. Idem quoque, quoties habitus pueri praeter naturam jacentis est, necessario faciendum.

### DE LOCHIORUM PROFLUVIO IMMODICO.

Lochia qualia sint,

PROTINUS post partum in lucem editum, ex uteri vasis plus minusve sanguinis naturaliter exit. Hoc profluvium complures dies permanens, magis magisque indies pallefcens, tandem sine colore fit, atque omnino desinit. Id lochia nominatur. Hunc autem usum praestat, ut uteri vasa inaniantur, utero se  
contra-

contrahendi atque arctandi copia detur, et inflammationis aliter futurae periculum tollatur \*. Idem hoc profluvium diuturnius vel brevius est, prout vulva citius feriusve ad justum modum redit. Atque hoc quidem omnibus mulieribus commune et naturale est.

VERUM ubi hoc profluvium tantum immodica qualia. copia, tamve diuturnum est, ut vitam in periculum deducat, morbus ille alter evadit, de quo agere quoque decrevi, lochiorumque profluvium immodicum dicitur.

NEQUE tamen hoc profluvium Morbi discrimina, et naturale sit, an morbosum, ex copia effluentis humoris aut diuturnitate sola judicandum est. Certiusque discrimen ex affectibus inde ortis petendum. Siquidem nonnullae maximam jacturam nullo incommodo perferunt; alias ad orci fauces minima copia perdita perducit.

Hoc profluvium, sicut et alia nimia, affectus; virium defectum, lassitudinem, caput quasi vertigine circumactum, arteriarum percussus

\* Smellie's Midwifery, vol. I. p. 402.

percussus debiles, crebros, nec aequis intervallis peractos, circa praecordia ponderis sensum, oculorum subsidentium caliginem, omnium sensuum defectum, extremorum frigus, singultum, syncopen, tendinum subsultus, convulsiones, et mortem denique, infert.

ei opportu-  
nus habitus.

HUIC morbo, resolutio et debilitas firmorum, dissolutusque et acris humorum habitus\*, prae caeteris, opportunus est.

Causae exci-  
tantes.

MORBUM, omnia sanguinem citantia et impellentia, uterive contractionem prohibentia, faciunt. Cujus generis sunt victus aut medicina vehementer irritans, qualis ad expediendum partum saepe datur; nimia musculorum, praesertim inter pariendum, actio, mala febrilia, item secundarum partes, cruorve concretus, intus remanens.

Morbi judi-  
cium.

UT supra relatum est, omnia ex utero profluvia morbosa periculosa sunt, sive, qui protinus insequuntur, effectus, sive multiplicem, sublato etiam morbo, no-  
xam

\* Millar de Fluxu immodico lochiorum, cap. 3. § 22.

xam ortam, respicias. Profecto multae superstites vitam miseram trahunt, hydropi, et omnibus morbis ex nimia corporis attenuatione nasci solitis, obnoxiae. Quo lenius profluvium est, aut melius mulier perfert, eo plus sperandum est. Contra, tanto major metus erit, quanto copiosior aut diuturnior profusio est, aut robur magis labat. Circa vero praecordia anxietas, animae defectiones, tendinum subsultus, convulsionisque, omnem prope spem futuri adimunt.

## R A T I O M E D E N D I.

MEDENDI consilium triplex est:

PRIMUM, profluvii vim imminuere;

TUM firma roborare;

POSTREMO, dissolutum humorum habitum corrigere.

CUM medicamenta primo consilio re-

Curationis  
partes;

Prima;

HAEC autem sunt corporis refupinati atque animi quies, refrigerantia, ad extremos artus venarum compressio; ad quam accedere debet, ut fasciis abdomine circumligato, aequae fere ac ante a partu eique adjunctis, subjecta vasa compressa teneantur; lumbis frigus admotum, adstringentia, ore data, aut pessorum forma in vulvam immissa; quae, cum vasis affectis propius nunc admoveantur, plus auxilii promittunt. Ad quorum in hoc morbo usum a PROSPERO ALPINO impellimur, qui suam se uxorem, medicina adstringente in vulvam immissa, sic laborantem, sanasse testatur \*: Quae tamen magna ex parte, sanguinem cogendo, coactumque intus retinendo, agentia, irritare coagulo, vulvae contractionem prohibere, et morbum reducere periclitantur. Praeterea opiata danda videntur. Item, ubi alvus gravidae mulieris facilis non servata est, eaque diu dura esse perseveravit, liquor molliens, qui sterco durum, forsitan intus latens, dissolutum deducat, in  
illam

\* De Med. method. lib. 12. p. 726.

illam immittatur. Porro, si fecundarum partes cruorve concretus intus subsistentes, morbum fecerunt fervantve, ea, si ipsa non natura ejecerit, per artificem peritum auferenda sunt. Ubi alius morbus, qualis febris est, hunc fecit, is propria ei curatione tractandus est.

HAC curationis parte sic administrata, ad secundam deinceps ac tertiam procedendum est. Secunda et  
tertia. Hisque respondent, victus ex levi lenique et facili concoctu materia, eaque copia datus quam ventriculi robor exercitationisque modus ferat postuletve; item roborantia, et densantia, quorum in numero amara, vinum rubrum, balsamique naturales, principem locum obtinent. Ante omnia autem cortex Peruvianus, lavatio frigida, et modica exercitatio, viribus mulieris apta, ubi nihil eorum usum vetare videtur, et leniter alvum purgantia, summam spem salutis ostendunt.

HUMORUM vitium, ex peculiari aliquo corporis habitu, qualis est scorbuticus,  
con



contractum, propriis remediis curandum est.

DE his ex utero profluviis, quae dicenda visa sunt tentatis; reliquum est, ut adolescenti, scribendi rudi, multis aliis studiis districto, cuique, ad opus primum poliendum et limandum, necessarium tempus defuit, errorum veniam implorem. Simul illustrium scholarum Doctoribus, ob multa, ab omnibus, dum semper aliquos eorum per decem annorum spatium audivi, accepta beneficia, quas habeo summas, et semper habiturus sum, idoneam nactus occasionem, gratias ago. Viri vero Praeclari WHYTII, de suis optime meriti nuper Doctoris, meque singulari profecuti amicitia, immatura morte e medio sublatis, memoriae lacrimanda. RUTHERFORDIUM autem et MONROIUM Patrem, medicae apud nos Academiae conditores, alterum morbo, utrumque annis, quo minus suis amplius fungantur officiis, et solitis Academiae et patriae bonis praestent, impeditos esse, doleo. Verum, cum maximos viros

in eorum loca subiiſſe, gloriae Academiae, uno animo, ſummo conſenſu, et conſtanti labore, inſervire videam, non poſſum non condiscipulis meis, quique poſteris forte annis illos audituri ſint, de tanto decore et praefidio in uſus literarum quaefito, gratulari; atque ut ea bona huic urbi et ſcholis propria et fauſta ſint, precari.

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1811